

ponuntur in divinis solum illæ in quibus est originis processio.

XXVI. Ex his ergo procedimus ad dilucidandam defendendamque sancti doctoris rationem, quæ tanti ponderis in diversis Conciliis visa est, quam etiam indicant sancti patres, Athanasius libro de unica deitate Trinitatis; Basilius lib. III contra Eunomium circa principium; Nysenus libro ad Ablabium; Cyrillus lib. VII thesauri, c. I, alique patres. Et tota rationis vis devolvitur ad hoc, quia relationes non distinguuntur in divinis, nec distinguunt Personas, nisi prout sunt oppositæ, et correlativæ inter se: sed non possunt opponi nisi secundum originem, et processionem, qua una Persona est ex alia, et procedit ab alia: ergo si Spiritus sanctus non procedit a Filio, non habet relationem oppositam Filio: ergo non est Persona ab eo distincta, sed una, et eadem, quod est destruere mysterium Trinitatis. Major constat, tum ex communi theologorum proloquio, ex Boetio libro de Trinitate: « Indivinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: » ergo ad distinguendum Personas non sufficiunt relationes quomodocumque, sed requiritur oppositio relationum, seu quod relationes sint oppositæ; tum quia in Patre relatio spirationis activæ vera, et realis relatio est cum sit correlativa relationis Spiritus sancti, et reale illius principium, et tamen non distinguitur realiter a paternitate, quia non opponitur illi, nec alia ratio assignari potest, ideo autem non opponitur, quia nec procedit a Patre, nec e contra: ergo manifeste requiritur oppositio relationum ad distinguendas Personas; tum denique, quia de ratione Personæ est incommunicabilitas ad ulteriorem terminum, relatio autem

solum suo termino incommunicabilis est, cum quo oppositionem habet, quia est ad illum. Ea autem quæ non se habent ut terminus ejus, non habet unde sit eis incommunicabilis relatio, nisi vel quia non sunt in eodem subjecto, vel quia non habent idem esse, sed unaquæque relatio habet suum esse limitatum, et divisum ab alia, sicut relationes creatæ, quæ etiamsi relative non opponantur, seu correlativæ, ut relatio et terminus, tamen distinguuntur tamquam duo accidentia limitata, et habentia diversum esse. In divinis autem relationes non habent diversum esse, nec limitatum, cum identificentur in eadem natura, et sint infinitæ, nec habent diversum subjectum, cum non sint accidentia: ergo non distinguuntur ex alio capite quam ex oppositione relativa. Nec enim aliunde distingui possunt, quam vel ex oppositione relativa, vel ex limitatione in esse; hæc secunda non intervenit: ergo prima requiritur.

XXVII. Minor probatur, quod videlicet non possunt opponi relationes in divinis, nisi secundum processionem originis, quia non possunt opponi relationes, nisi in quantum se habent ut relatio et terminus, seu ut correlativa, quia nulla relatio exercet suam oppositionem relativam, nisi ad suum terminum correlativum, sicut Pater opponitur Filio correlative, non autem opponitur simili, vel aquali; si quidem illa opponuntur, quæ repugnant esse simul, duæ autem relationes non correlativæ possunt esse simul, sicut idem homo potest esse pater et similis respectu ejusdem, non potest esse simul pater, et filius respectu ejusdem: sic ergo relativa oppositio solum exercetur inter correlativa. Sed in divinis non potest dari correlatio, nisi ubi datur processio: ergo

neque oppositio. Minor probatur, quia correlatio realis requirit extrema realiter distincta, ejusdem enim ad seipsum realis relatio non est; hæc autem extrema vel supponuntur distincta ante relationem, et ante fundamentum relationis, vel ipsa relatione, aut fundamento ejus ponuntur. Si ante relationem, et fundationem ejus supponuntur distincta: ergo cum ante relationem, et fundationem ejus non sit in Deo nisi absoluta entitas, sequitur quod supponitur distinctio inter extrema absoluta, et in ipsa entitate absoluta datur divisio, quod est ponere plures deitates aut deos absolute. Si ipsa relatione aut fundatione ejus ponuntur: ergo originantur, seu producantur extrema relatione, et fundatione ejus: ergo solum possunt esse relationes reales fundatæ in origine, et processione, quia solum possunt esse relationes non supponentes extrema distincta in genere absoluto, sed ipsa relatione distinguuntur: ergo fiunt, seu originantur extrema ipsa relatione, et sic in sola origine, et processione relationes correlativæ fundantur in Deo. Alias rationes adduximus supra disp. XII, art. IV, ubi ostendimus nec in mensura, nec in unitate posse fundari relationes reales in Deo, sed solum in actione, seu origine; et sic solum datur oppositio, et correlatio inter relationes quæ habent processionem.

XXVIII. Dices: Sufficere ad distinguenda supposita in divinis oppositionem relativam, seu notionalem ex parte originis diversæ, non ex parte relationum inter se oppositarum, ita quod si dantur duæ processionem, seu origines totales, et diversæ in ratione, et modo originandi, hoc ipso termini earum diversierunt inter se personaliter, quia diversis viis producantur: nam hoc ipso tendunt ad diversos terminos,

qui termini inter se opponuntur, sicut et ipsæ viæ, et habebunt se ut constituentes diversas Personas; quando vero relationes non constituunt diversas Personas, sicut paternitas, et spiratio activa, nec procedunt diversis viis, quia nec paternitas, nec spiratio activa procedunt ab aliquo, non mirum quod non distinguantur, sed sunt iidem. Quæ solutio sumitur ex Anselmo libro de processione Spiritus sancti, c. II, dicente, quod: « Etsi Filius, et Spiritus sanctus per aliud non essent plures, tamen per hoc essent diversi, quod alter nascendo, alter procedendo existit. » Et sicut si unus homo procederet per generationem, alter fieret per artificium, hoc ipso essent diversi, ita et in divinis, hoc ipso quod una Persona nascitur, altera spiratur, diversæ sunt. Secundo, dici potest requiri quidem ad distinctionem Personarum oppositionem, sed non correlativam, sed sufficere oppositionem affirmativam, et negativam, qualis invenitur etiam inter relationes disparatas, quarum non una est alia ex sua propria ratione.

XXIX. Sed contra primam solutionem stat firma ratio facta, quia origines tunc sunt diversæ, quando termini ipsi diversi sunt inter se: nam si termini alias diversi non sint, non diversificantur per origines, seu processionem diversas, sicut idem homo, v. g. Adam si fieret per generationem ab alio homine, vel per formationem de terra, sicut factus est a Deo, vel per creationem ex nihilo, vel per transubstantiationem, seu conversionem totalem ex alio in se, non ob hoc esset diversus, licet omnes istæ actiones, et modi producendi diversa essent in ratione originis et actionis: ergo diversitas originis, seu viæ producendi non facit diversitatem, nisi supponatur diversitas in ipsis terminis,



cum potius distinctio vel unitas actionis ex unitate vel diversitate terminorum sumatur, non e contra. Instatur secundo, quia illa solutio petit principium manifeste: nam supponit quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, essent diversæ realiter origines, generatio, et processio, quod tamen non probat, nec potest subsistere, quia id ipsum est quod negamus, scilicet quod tunc nec Personæ essent diversæ, neque origines, quia hoc ipso quod Personæ non sunt diversæ, neque origines diversæ esse possunt: nam origines nihil aliud sunt quam Personæ, seu relationes consideratæ, ut in fieri, et in via: si ergo negantur distinctæ Personæ in facto esse, etiam negantur distinctæ Personæ in fieri; ergo et origines distinctæ.

Et ratio est, quia origines nihil aliud sunt in substantia, quam ipsæ actiones intellectus, et voluntatis, ut notionales, seu ut modificatæ relationibus: nam ut supra disputatione duodecima probavimus contra Durandum, et Scotum, processiones Personarum sunt ipsi actus immanentes intellectus, et voluntatis, ut modificati relationibus. Si ergo relationes non sunt oppositæ, nec diversæ inter se, non modificant istas actiones diverso modo: ergo non reddunt processiones notionaliter diversas. Non ergo in ratione originis differunt, si relationibus non differunt. Et sic non sunt præsupponendæ origines diversæ, nisi prius relationes ipsæ diversæ supponantur, ratione quarum, vel in ordine ad quas redduntur origines diversæ, non vero independentes, et antecedentes ad relationes, ipsæ origines diversificatæ supponuntur, ut ex illis relationes diversæ reddantur, etiam sine oppositione inter se, cum antecedentes ad relationes, ipsæ origines non sint

aliud quam actus absolutus intellectus, et voluntatis, qui secundum se, et secundum absoluta antecedentes ad modificationem relativorum non sunt nisi unum, quia absolutam solum rationem important intellectionis, et volitionis. Ad Anselmum autem infra in solutione argumentorum respondebitur.

XXX. Secunda vero solutio omnino deficit, quia remota oppositione relativa, non potest penes affirmationem, et negationem distinctio et pluralitas poni in aliquibus extremis, nisi penes divisionem in aliquo esse, quatenus scilicet hoc habet aliquid quod alter non habet, et sic talis divisio fundat limitationem, et finitatem. Infinitas autem in aliquo esse, seu in aliquo genere obstat isti divisioni, quæ fit penes esse, et non esse, seu penes esse hoc, et esse illud cum negatione alterius: si enim est esse infinitum, omne esse occupat, et nullum dividit. Cum ergo relatio divina sit infinita in esse, et genere relationis, non potest in illo genere, et in illo esse divisionem habere, nisi habeat limitationem in ipso esse relativo, aut oppositionem cum suo correlativo. Remota ergo oppositione, seu correlatione, et sumendo relationes disparatas, et non correlativas inter se, solum potest esse divisio inter relationes penes esse, et penes ipsum in relationis, quod est relationes esse limitatas in sua natura, et in suo esse, quia ex seipsis petunt non habere totum esse, et totam perfectionem relativi generis, et non solum ex vi oppositionis.

Quod si dicas: Quando unum relativum est ad alterum, hoc ipso quod opponitur illi, non habet esse relativi illius, ergo taliter est una relatio quod non est alia sibi opposita: ergo habet limitatum esse in genere relativi, quia non habet totum esse relativi generis: nam quod

habeat negationem illius esse ex vi oppositionis, vel ex alia causa, parum interest, dummodo enim careat aliquo esse illius generis, limitationem habet, undecumque id proveniat: si ergo posita oppositione relativa, unum relativum non est aliud, quid refert quod remota tali oppositione, et solum positis relationibus disparatis unum non sit aliud? Aut si non obstante hac oppositione relativa, unumquodque relativum retinet infinitatem, cure eadem non retinebit posita disparitate relativorum sine oppositione inter se?

Respondetur quod quando unum relativum non est aliud, solum ex vi oppositionis, et correlationis, nihil obstat ipsi infinitati generis relativi, quia communicant in ipso esse, et perfectione, quæ infinita, et una est in utroque: in ipso enim esse non opponuntur. Multiplicantur autem solum in oppositione, non enim in perfectione, in realitate ut opposita, non in actualitate, nec in ipso in relationis. Quare datur locus in talibus relativis, ut tam perfectum sit unum sicut aliud si solum ratione oppositionis, et correlationis distinguuntur, non ex parte perfectionis, et ipsius in, quia in hoc oppositionem non habent. Si autem præter ipsam oppositionem relativam etiam relationes disparatæ distinguuntur, oportet quod ex parte ipsius esse, et ipsius in, et perfectionis relativæ unum importet incommunicationem ad alterum; et sic limitationem dicant, quia ipsa perfectio, et ipsum in secundum se multiplicatur. Negamus ergo quod in correlativis, et oppositis relationibus multiplicetur perfectio, et esse in ratione perfectionis, sed solum in ratione oppositionis; et sic non obstat infinitati cuiuscumque relativi habere correlativum, obstat autem ex alia ratione,

quam ex vi oppositionis distingui, sicut distinguerentur relationes disparatæ.

Ubi S. Thomas omnem aliam distinctionem excludens in divinis sive ex parte oppositionis contrariæ, sive privativæ, sive contradictoriæ, et solum ex parte oppositionis relativæ eam admittens, sic inquit in 1, dist. xxvi, q. 11, art. 11 ad Annibaldum: «Omnis alia distinctio imperfectionem importat in altero distinctorum, aut in utroque: nam alia est distinctio secundum materiam, et quantitatem; et sic in utroque ponit partialitatem: vel est secundum oppositionem formalem, quæ quidem si attendatur secundum affirmationem, et negationem vel privationem, et habitum, constat, quod in altero ponit defectum. Similiter si attendatur secundum contrarietatem: nam alterum horum contrariorum semper est imperfectum secundum philosophos, et quasi privatio respectu alterius. Sola autem oppositio relationis potest esse sine imperfectione ex utraque parte. Nam cum in Deo nulla sit imperfectio, per solam relationem potest esse in divinis distinctio.» Ita D. Thomas. Et de eodem videri potest q. x de potentia, art. v.

EXPEDIUNTUR FUNDAMENTA SCOTI.

XXXI. Primo arguitur: Quia filiatio secundum se est ratio formalis constitutiva Personæ in quantum filiatio: ergo etiamsi ab ea non procederet Spiritus sanctus et maneret filiatio, Personam constitueret; sed posita et constituta Persona per se ipsam et omni alio remoto debet distingui a Persona Spiritum sanctus: ergo etiamsi non procederet, distingueretur. Primum antecedens probatur, quia filiatio secundum se, et omni alio remoto constituit Filium:



ergo constituit terminum genitum, seu terminum generationis, quia Filius ut filius procedit formalissime ut terminus generationis, et similis generanti: ergo ut persona, et suppositum, quia non potest esse terminus similis generanti perfecte et totaliter, nisi sit totale suppositum, si quidem generans Persona est, et suppositum: ergo si genitum est et totaliter, et perfecte simile, Persona est. Prima vero consequentia constat, quia etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Filio, adhuc maneret filiatio, ut supponimus, quia adhuc maneret generatio Patris, et consequenter Filius procedens, et genitus: ergo et filiatio perfecte similis Patri: ergo et Persona procedens ab illo. Secundum vero antecedens probatur, quia posita, et constituta Persona, de ratione ejus essentielle est quod sit incommunicabilis alteri Personæ, seu ulteriori termino: ergo et Personæ Spiritus sancti: ergo Persona Filii distincta esse tunc a Persona Spiritus sancti etiamsi non procederet ab illo.

Confirmatur, quia eodem principio quo aliquid constituitur in esse personæ, distinguitur ab alia, et eisdem processionibus seu viis, quibus res diverso modo procedunt, etiam diverso modo constituuntur, sed tunc essent diversa constitutiva Personarum Filii, et Spiritus sancti et diversæ etiam processionis seu origines: ergo et diversæ Personæ constitutæ et procedentes.

Minor probatur. Tunc esset constitutum Personæ, nempe filiatio: hæc enim constituit terminum genitum, qui terminus necessario est suppositum, et Persona, alias terminus generationis non esset: ergo et distinctivum a qualibet alia Persona, et consequenter a Persona Spiritus sancti, quia idem est constitutum, et distinctum alicujus. Similiter

essent diversæ processionis, et origines, quia esset generatio, et spiratio: ergo esset Persona genita, et spirata: ergo duæ Personæ, et non una: nec enim eadem Persona posset procedere per intellectum, et voluntatem, esse genita, et spirata.

Confirmatur secundo, ex auctoritate Anselmi supra inducta libro de processione Spiritus sancti, c. II, quod: « Si per aliud non essent plures, per hoc solum essent diversi, quod unus nascendo, alter existit procedendo: » ergo etiamsi unus non procederet ab alio, istæ solum diversæ origines processionis, et generationis diversas inducerent Personas Filium genitum, et Spiritum sanctum procedentem.

XXXII. Respondetur ad principale argumentum, concedendo antecedens quod filiatio constituit Personam. Et distingo primum consequens: ergo etiamsi non procederet ab eo Spiritus sanctus et maneret filiatio, constitueret Personam, distingo; constitueret Personam identificatam, et indistinctam a spiratione passiva, concedo; distinctam ab illa, nego, sicut modo non constituit Personam distinctam a spiratione activa, sed identificatam illi.

Ad secundum antecedens. Posita et constituta Persona Filii, debet distingui a Persona Spiritus sancti omni alio secluso, distingo antecedens: si esset dabilis talis Persona seorsum a filiatione, concedo; si non esset dabilis, nego. In illo autem casu non esset dabilis Persona Spiritus sancti distincta a Persona Filii, sed eadem. Unde negamus suppositum, quod tunc esset Persona Spiritus sancti distincta a Filio, sicut modo spiratio activa non est Persona distincta a Patre et Filio. Itaque filiatio est constitutiva personæ in quantum filiatio opposita, ita quod ipsa oppositio est

conditio essentialiter imbibita in constitutivo personæ, et ita prout fuerit talis filiatio opposita sic constituet, et distinguet Personam, seu constituet Personam ut distinctam, et prout non fuerit opposita, constituet Personam identificatam. De se autem filiatio solum habet esse passive procedens a Patre per generationem, et ut opposita illi correlative, ab eo distingui: ut autem sit distinctiva Personæ alterius, a qua non procedit passive, oportet quod talis filiatio sit activa, et fecunda respectu illius; et sic radicaliter de se sit spirativa, et habeat adjunctam spirationem activam formalem, ut sit opposita formaliter illi, sine qua spiratione ut conditione requisita non constituetur ut Persona opposita Spiritu sancto, sed ut identificans illum sibi: sicut si Filius posset producere, et generare alium Filium, non intelligeretur ut distinctus ab ipso, neque constitui ut Persona distincta a Filio generando, nisi in quantum generator illius, et fecundus ad illum, non ut præcise genitus et Filius sui Patris. Et quando dicitur quod de ratione personæ est ut sit incommunicabilis alteri termino, seu personæ, distingo; si talis persona, et terminus detur, concedo; si non detur, nego. Et in tali casu non esset Persona distincta Spiritus sancti, sicut nec modo est spiratio activa: nec esset incommunicabilis illi, quia non esset oppositio, ad illum, ut dictum est.

XXXIII. Ad primam confirmationem respondetur in primis ad majorem, quod eodem principio quod aliquid constituitur, etiam ab alio distinguitur, intelligi debet, quod ab alio distinguitur cui opponitur, seu cui non identificatur: nam si identificatur, illud etiam pertinebit ad constitutum ejus, non ut extraneum habebitur; et sic ab illo

non distinguetur, sicut rationale constituit hominem, sed non distinguit illum ab animali, quia identificat animal sibi, sed distinguit ab irrationali, cui opponitur. Si autem aliquid constitutum opponitur alteri, vel ratione alicujus negationis seu limitationis in se imbibitæ, vel ratione relationis oppositæ, aut ulterius oppositionis, sic idem quod est constitutum, est etiam distinctivum, quia constituit cum oppositione ad alterum, vel negatione illius, non sine illa. Hinc ad minorem dicimus, quod filiatio est constitutiva Personæ, distingo; includendo simul oppositionem requisitam erga alias Personas, concedo; non includendo illam, nego. Ad consequentiam: ergo seipsa, et per suum constitutum distinguitur ab omni alia Persona, distingo; ab omni alia quæ vere sit alia, et vere distincta, concedo; ab omni cum qua identificatur, et cui non opponitur, nego. Et sic negandum est suppositum, quod sit alia Persona Spiritus sancti in illo casu. Ad rationem autem constitutivi pertinet esse distinctivum respectu ejus quod distinguibile est, non quod identificabile. Ut autem aliquid sit distinguibile ab aliquo supponitur quod sit aliqua oppositio inter illa sive contradictoria, quæ est affirmationis, et negationis, sive contrarietatis, sive relationis. Sumendo autem constitutum rei sine oppositione, non distinguit, quia non consideratur in ordine ad suum distinguibile, respectu cujus sine oppositione considerari non potest. Cum ergo in eo casu filiatio constitutiva Filii, licet consideretur ut opposita Patri, non tamen consideratur ut opposita Spiritui sancto, sed ut identificabilis illi, hinc est quod taliter esset constitutiva Filii, quod non distinctiva a Spiritu sancto, quia illum identificaret sibi:



constitutivum autem non est distinctivum ab omni re, sed ab omni re distinguibili, non ab omni identificabili sibi. Et ita ut filiatio sit constitutiva Filii, non quomodocumque, sed taliter quod non sit identificabilis Spiritui sancto, oportet quod sit constitutiva ut filiatio spirativa, seu ut radicaliter spiratio: ut autem sit constitutiva cum identificatione Spiritus sancti, sufficit filiatio non spirativa, sed tunc non distinguitur a Spiritu sancto, quia non constituit cum oppositione, et negatione ejus, quod requiritur, ut constitutivum distinguat. Ad id vero quod dicitur, quod tunc essent diversæ processiones, et origines generatio, et spiratio, respondetur quod non essent diversæ realiter, sed unica, et eadem realis processio cum duplici conceptu, sicut intellectus, et voluntas, intellectio, et volitio sunt idemmet actus in Deo, sola ratione nostra distinguibilis, et sic in eo casu terminus utriusque actus esset idem, et unus, qui ad volitionem, et intellectionem pertinebit adæquate. Nec magis variaretur tunc spiratio, et generatio, quam nunc volitio, et intellectio essentialiter consideratæ, nec alter procederet nascendo, alter procedendo, quia non esse alter et alter, sed unus et idem terminus simul genitus, et spiratus, quia simul esset volitio, et intellectio illa generatio, et spiratio, eo quod spiratio non esset a generatione seu a termino per generationem producto, ut ab eo distingueretur Spiritus sanctus et spiratio a generatione, sed esset unum et idem, sicut est volitio et intellectio.

XXXIV. Instabis: Istæ duæ processiones nullo modo possunt identificari in unum, nec Personæ per illas procedentes, quia istæ processiones de se petunt terminos diversos, nec potest intelligi quod idem terminus procedat per intellectio-

nem et per amorem, generetur et spiretur simul, cum per unicam actionem totaliter, et adæquate producatur seu originetur eique communicetur tota divinitas: ergo altera actio seu processio superfluit; nihil autem superfluum ponendum est in Deo: ergo non est intelligibile quod in Deo eadem Persona sit genita, et spirata, et in unum identificentur illæ duæ relationes, et illæ duæ processiones.

Respondetur negando semper suppositum, quod tunc essent duæ processiones, aut duo termini seu Personæ procedentes: sed tunc esset una, et eadem processio complectens indivisibiliter generationem, et spirationem, sicut nunc intellectio et volitio sunt idem actus realiter, et spiratio activa et paternitas eadem relatio entitative et realiter, licet non terminative. Tunc autem eodem modo generatio passiva, id est, filiatio, et spiratio passiva, id est, Spiritus sanctus essent unicus, et idem terminus, respicerentque unicam processionem, quæ adæquate esset voluntatis et intellectus generatio, et spiratio, non duæ, sicut modo. Et verum est quod duæ processiones sicut modo sunt duæ, non possunt in unum convenire, quia inter se ita se habent quod una procedit ex alia, et opponitur illi, sed tunc sublata oppositione non essent duæ, sed una. Et cum instatur quod tunc quælibet illarum esset adæquata, et totalis actio communicativa divinæ naturæ, et sic altera superflueret, dico quod tunc non esset adæquata et totalis actio generatio, neque totalis, et adæquata actio spiratio, sed esset tantum una actio productiva termini illius, qui tunc procederet. Et hoc ideo, quia tunc produceretur terminus genitus, v. g. Filius, non ut præcise filius, sed Filius ut identificans sibi Spiritum sanctum seu

spirationem passivam, sicut nunc producitur ut identificans sibi spirationem activam, ut oppositus autem spirationi passivæ. Unde Filius tunc ut procedens cum identificatione Spiritus sancti non procederet adæquate per generationem, et per intellectum, sed generatione et spiratione, per intellectum et voluntatem, quia ut identificans utrumque, et non ut solum communicationem naturæ accipiens per generationem procederet.

XXXV. Et totam hanc doctrinam accipimus ex D. Thoma qui in quæstione ix de potentia, art. iv ad xv, ita inquit: « Ad xv dicendum quod forte modus ille processionis diversus quo dicitur Filius procedere per modum intellectus, Spiritus sanctus vero per modum voluntatis, non sufficit ad distinguendum personaliter Spiritum sanctum a Filio, cum voluntas, et intellectus non distinguantur personaliter in divinis. » Quare istæ processiones, ut præcise sunt voluntatis, et intellectus, nisi etiam addatur quod una sit ex alia, non magis distinguunt Personas, nec distinguuntur inter se, quam ipsa intellectio, et volitio, ut essentialis actus sunt; et sic sunt omnino idem realiter, licet virtualiter distinguantur.

Nec obstat, quod tunc procederet Filius ut persona, de cujus ratione est quod sit terminus incommunicabilis, dicitur enim quod de ratione personæ est quod sit incommunicabilis alii a se distincto, non alii sibi identificabili, sicut modo procedit Filius ut persona, nec tamen ut incommunicabilis spirationi activæ, quia est identificabilis illi, sic in illo casu procederet ut identificabilis Spiritui sancto seu spirationi passivæ, quia procederet ut non oppositus illi; et sic non procederet ut Persona ab illo distincta, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem supra relatam ex Anselmo respondetur ex D. Thoma, tum in hac quæstione xxxvi, art. ii ad vii; tum in quæstione x de potentia, art. v, quod verbum Anselmi procedit supponendo quod origines Filii et Spiritus, secundum quam unus nascendo, alter procedendo oriuntur, essent diversæ in re, ut Pater in verbis paulo ante positus ab Anselmo, ubi inquit: « Nam quomodo Filius existit in Deo nascendo, Spiritus sanctus procedendo ipsa diversitate nativitatis, et processionis referunt ad invicem. » Supponit ergo quod nativitas, et processio maneant diversæ, et tali diversitate ad invicem referantur, quod stare non potest, nisi sit ex alia, et opponantur in se. Sic ergo supponendo diversitatem processionum nascendi, et procedendi, optime infert illam conditionalem: Si per aliud non essent plures, per hoc solum essent diversi, scilicet per ipsas diversas processiones nascendi, et procedendi taliter positas, ut ponit Anselmus, quod ad invicem referrentur, et opponerentur, et una esset ex alia, quia sine hoc quod una esset ex alia diversæ origines non essent, sed solum una.

XXXVI. Quod si dicas: Si Anselmus loquitur supponendo origines sic esse diversas, ut una esset ex alia, et opponeretur illi: ergo supponit ipsas quoque Personas in suis relationibus esse oppositas, et diversas, et unam esse ex alia, quomodo ergo posset tunc dicere quod si per aliud non essent plures, per hoc solum, essent diversæ: si enim sunt origines cum processione unius ex alio, non remaneret aliquid aliud per quod essent plures.

Respondetur quod quando dicit si per aliud non essent plures, et iterum, per hoc solum essent diversæ, ly per aliud, et ly per hoc solum, si-